

DE BELLO CIVILI LIB. I

Pompei mandata ad se detulerint, ne graventur sua quoque
ad eum postulata deferre, si parvo labore magnas contro-
versias tollere atque omnem Italiam metu liberare possint.
Sibi semper primam fuisse dignitatem vitaeque potio- 2
5 Doluisse se quod populi Romani beneficium sibi per contu-
meliam ab inimicis extorqueretur ereptoque semestri im-
perio in urbem retraheretur, cuius absentis rationem haberi
proximis comitiis populus iussisset. Tamen hanc iacturam 3
honoris sui rei publicae causa aequo animo tulisse; cum
10 litteras ad senatum miserit, ut omnes ab exercitibus dis-
cederent, ne id quidem impetravisse. Tota Italia dilectus 4
haberi, retineri legiones II, quae ab se simulatione Parthici
belli sint abductae, civitatem esse in armis. Quonam haec
omnia nisi ad suam perniciem pertinere? Sed tamen ad 5
15 omnia se descendere paratum atque omnia pati rei publicae
causa. Proficiscatur Pompeius in suas provincias, ipsi exer-
citus dimittant, discedant in Italia omnes ab armis, metus
e civitate tollatur, libera comitia atque omnis res publica
senatui populoque Romano permittatur. Haec quo facilius 6
20 certisque condicionibus fiant et iure iurando sanciantur, aut
ipse propius accedat aut se patiatur accedere; fore uti per
colloquia omnes controversiae componantur.

Acceptis mandatis Roscius cum Caesare Capuam per- 10
venit ibique consules Pompeiumque invenit; postulata
25 Caesaris renuntiat. Illi deliberata *re* respondent scriptaque 2
ad eum mandata per eosdem remittunt, quorum haec erat
summa: Caesar in Galliam reverteretur, Arimino excederet, 3
exercitus dimitteret; quae si fecisset, Pompeium in Hi-
spanias iturum. Interea, quoad fides esset data Caesarem 4
30 facturum quae polliceretur, non intermissuros consules
Pompeiumque dilectus.